

1482 rarat ) confessim ad eos opprimendos ire pergit. Haud enim ignorabat, quid periculi sibi Ferrariæque ex ea re immineret; subito igitur accessu eos adortus turbat; primo inde certamine injecto, circa munitiones fatigat. Marcianus suos hortando, ut se locumque fortiter tuerentur, victoriæ Aëstensi aliquanto retardavit: inde superante hostium multitudine vietus, in eorum potestatem venit. Captus cum eo Falcerius, ac milites multi, multi quoque ibidem cœsi. Imulanus cum parte peditum ad fluvium se recepit, maturoque navium accursu servatus est. Perrexit postea Hercules locum communire, qui valido præsidio firmatus, magnum Ferrariæ adjumentum attulit.

Severinas interim, quum Ficariolanam oppugnationem haud tam cito, quam ipse & alii sperarant, ad exitum perduci videret, ne uno loco hostem fatigaret, copiarum partem cum Fracasso & Joanne Maria, & cum his Petro Marcello legato, Jacobi Antonii viri clarissimi filio, ad Rodigianæ Polesini oppida expugnanda mittit; quicquid enim hostium intra Athesis fluenta erat, nullam vim belli ad eam diem fenserat. Primo igitur accessu Castellum Guilielmum, & Turris Donatia stagnis circumflua, sunt capta. Inde Rodigium, Lendenaria, Abbatia, & alia Polesini loca non sine certamine (quo Hieronymus Marciani Comitis filius, juvenis impiger, occubuit) Venetis armis cessere. Ad confirmandos antem populorum animos, qui in Venetam fidem venerant, Augustinus Barbadicus, tum Patavii præfectus, vir claro ingenio magna- que auctoritate, decreto Patrum Rodigium transiit: missus ad hoc ipsum cum eo Petrus Trivisanus. Rebus provinciæ constitutis, Barbadicus jussu Patrum Paduam est reversus, Trivisanus gravi morbo implicitus non multo post vita decepsit. Rubertus Venerius, Francisci filius, Trivisano in provinciam successit. Hic quoque populorum animos, imprimisque Rodiganos, non solum in fide continuit, sed mansuetudine & ingenii dexteritate magnopere etiam confirmavit. Dum

hæc